



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De Fenestris. Cap. VIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

caetis praescripta sunt: quae pro ecclesiae aedificandae ratione, proque structurae modo seruari accuratius debent.

Ullud verò caueatur, vt à superiori parte se illa arcuata sint (cùm à portis vrbium dissimilia esse debeant) sed quadrangula, qualia in basilicis antiquioribus conspiciuntur.

Nec verò humili structura depressiora sint, sed duplo altiora, vt architecturae ratio fert, quàm latitudo paret.

Superiori parti coronix decenti opere adungi potest, è qua rotundum instar hemicycli, & scaphae emineat; vbi sacrae imagines, vt supra praescriptum est, sculptantur, aut pingantur, vt in antiquis, ijsq; insignioribus basilicis Mediolanensibus perspicitur.

A fronte ecclesiae ostia exstruantur; imparia verò sint, ac planè totidem, quot naues è quibus ecclesia constat.

Media autem nauis (si è pluribus nauibus ecclesia constet) tria ostia, vbi praescripta amplitudine potest, à fronte habeat; si verò ex vna tantum, haec omnino ostia tria à fronte habeat. nam pluribus ostijs cùm ob alia multa, tum ob virorum mulierumq; distinctionem, ad ecclesias ingressum pateferi debere, indicant basilicae Romanae.

Ostium medium à caeteris, & laxamento, & ornatu praecipuè distingui debet, praesertim in basilica cathedrali; vbi illud sculptura leonum exornari decet exemplo templi Salomonis, qui in basilicis illos sculpi iussit, vt praesulum indicaret vigilantiam; id ipsumq; in plurimum huius Mediolanensis prouinciae basilicarum cathedralium ianuis ita exstructis praecclare cernitur.

Ostiorum ecclesiae valuae eiusmodi esse debent, quae non tam ornatum quàm firmitudinem ostentent.

Porrò è cypressò, aut cedro fieri conueniens esset: si minus è nuce vbi potest fiant, opere fabrili ornatae, quod non picturae tenuitatem imitetur, sed sculpturae praecipuè expressum aliquantisper emineat: laminis autem aeneis illas quae insignioribus ecclesiae sunt, vestiri, opereq; sacrarum imaginum caelato ornari conuenientius erit; cùm basilicarum Romanarum valuae, non modò aeneas, sed argenteas,

argenteas illitas, aliquando extitisse memoriae proditum sit.

Haec ostiales valuae, & pessulis, & seris, & clauibus grandiusculis à parte interiori firmiter munitae sint; ab exteriori autem parte nullo modo.

Vbi verò id aliquando fieri necesse sit, in vnus tantum ianuae, quae à latere maioris ianuae est, valuis ostiolum paruum exstrui liceat, isdem instrumentis extrinsecus munitum, firmiterq; compactum.

A tergo autem, nec verò praeterea à lateribus vllum ecclesiae ostium exstruatur; nisi quo ingressum fieri necesse est, vel ad campanile, vel ad coemeterium, vel ad ministrorum ecclesiae domicilia.

Neque item propè altare vllum, vel à regione eius laterali, aliove eiusmodi loco, qui illud rectè spectet: indeq; sacris altaris ministris, aut impedimentis, aut irreuerentiae, perturbationisve periculum aliquando existeret possit.

DE FENESTRIS

Cap. VIII.

HAEC de ostijs satis sunt, cum alia multa Architecti periti iudicio relinquantur: superest de fenestris, quae pro ratione architecturae, proq; modo, ac magnitudine aedificij in ecclesijs & in cappellis struentur.

Neque est, cur de earum longitudine, ac latitudine quidquam, aut de forma hoc loco multa tradantur; cùm potius ab architectonica arte huius generis praecipio sumenda sit.

Ea autem in sacrarum aedium fenestris forma vel plurimum seruata est, vt à parte superiori paululum rotunda, à lateribus aliquantulò intrinsecus lateres appareant quàm extrinsecus, prout etiam mysterij ratio à patribus demonstrata suadet.

In media ecclesiae nauis, vbi per teetum eminentioris altitudinem potest, tum in nauibus etiam inferioribus laterales fenestras fiant, eaq; impares ab vtroq; latere: atque in vnus cuiusq; intercolumnij medio ita ordine exstructae, vt rectè sibi respondeant, neque à zophoro,

epistylis

3. Reg 7.

epistylivè testè valde distent.

Vnde verò lumen præcipuè ecclesia & cappella maior excipiat, fenestra orbicularis ampla, pro modo ecclesiæ, instar oculi à fronte supra ostium maius exadificetur, atque extrinsecus ornetur pro structuræ modo.

In alijs nauibus à frontispicio, item fiat forma oblonga architecti iudicio.

Verùm lumen etiã excipi potest ad cappellæ & ecclesiæ usum, è tholo, ex umbilico scilicet fastigiatæ fornix, lanternis vndique factis.

In cappella maiori, ac præterea in singulis minoribus, pro earum magnitudine ac modo, ab utroque latere eæ item fiant, ut vtrinque lux præbeat.

Si verò à lateribus lumen excipi nullo modo potest, neque satis est, quod ab orbiculari, alijsve frontispicij fenestris imbibitur, quodve aliunde excipitur; è pariete qui à tergo cappellæ est, recipiatur.

Cautio autem adhibeatur, ut nullam altaris cuiusvis partè, ne minima quidè, fenestræ posterioris parietis occupent; tum maximè, nè altare quod eidem parieti propè sit, rectè spectent, aut villo sanè modo supra altare sint.

Cæterùm si aliunde lumen commodè & decenter sumi non potest; tunc fenestra, quæ necessariò supra altare extruenda est, ab ima parte paulò acclivius foras prominens, opere testaceo, aut tabula solida marmorea areave strata, eiusmodi sit, ut aqua foras omnino defluat; intro verò ne gutta quidem penetret.

Cautio item sit, ut si montoso, aliove loco, vbi vétorum vis maxima esse soleat, ecclesiam ex adificari contigerit, ita fenestræ vndique à septentrione præsertim architecturæ rationibus fiant, ut à nulla parte ecclesiæ detrimentum, neque periculum sacris ministerijs, neque incommodum fidelibus orantibus existat.

Fenestræ omnino altè, atque ita extruatur, ut inde qui foris stat, introspicere non possit.

Vbi autem necessariò fenestra minus alta quam præscribitur, aliquando extruatur necesse esset (quod facillè vsu veniet in veteribus ecclesijs refarctis) ea mu-

niatur vitreis valuis, quæ nullo modo aperiri possint, nè introspectetur.

Fenestræ autem omnes, quales quales sint, clathris ferreis, vbi potest, muniantur, adiuncto etiam opere vitreo & pelucido, neque vlla ex parte picto, nisi imagine tantùm Sancti, cuius nomine ecclesia cappellave nuncupatur, ut lumen illustrius ad illius cappellæ ecclesiæve usum excipiat.

Sint item extrinsecus filis æreis instar retis vndique septè.

Quæ operis vitrei sepimentive extructio ornatior esse potest pro edificij modo.

In ecclesijs autem, quibus ob inopiam vitreo opere confici non possunt, sint opere saltem telè instructæ.

At è quocunque genere opereve sint, eiusmodi tamen esse debent, ut aperiri, aut amoveri aliquando possint, ad omnis vaporis in ecclesiæ cappellæve ambitu conclusi exhalationes.

DE ECCLESIAE SCALA ET gradibus. Cap. IX.

Am verò est, ut de ecclesiæ scala & gradibus aliqua instructio fiat, cum ad illam editiori loco exedificatam ascendendi necesse sit.

Si igitur loci situs, vbi ecclesia extruenda est, ita è planitie eminet, ut scala quæ pluribus gradibus constat, opus sit; tunc illa pro ecclesiæ modo latè patens, è marmore, aut è solido saltem lapide struatur, gradibus totidem, quot ad ascendendi usum commoditatemque necessarij sunt.

Qua in re videndum est, ut illi & numero impares existant, & quinto, tertiove quoque gradu planum fiat, quod pro ascensus ratione cubitis circiter tribus congruenter pateat.

Si verò præ ascensus altitudine ordines graduum plures statui oporteat, hæc etiam ratio habenda est, ut illi quoque numero impares extant.

Gradus autem singuli altitudine sint vnciarum octo, latitudine circiter cubitali, aut paulò ampliori pro structuræ genere.